# DISSERTATIO EXEGI
in Luc. VII. 47.

Quare, dico tibi
# REMISSA SVNT
# CATA EIVS, MV
quia amavit multum
# CUI VERO PA
# REMITTITVR
parum amat.

Quam
Favente Deo,
*PRÆSID*
*MAGNIFICO atque REVERE*
DOMINO
# CHRISTOPH. MAT
# PFAFFIO
S. Theologiæ Doct. & Professore P
sitatis Tubingensis Cancellario, Eccle
Abbate Laureacensi,
*Patrono ac Præceptore suo æternum*
*D. Decemb. A. MDCC*
h. l. q. consuetis
defendet
M. EBERH. FRIDERICVS HELLWA
S. Theol. Stud. in Ill. Stip. T

*TVBINGÆ*, Litteris BAVHOFII &

EGETICA

tibi,

NT PEC-

MVLTA,

ultum:

PARVM

TVR,

at.

eo,

*D E*

*VERENDISSIMO*

N O

MATTHÆO

IO,

ſſore Primario, Univer-

, Eccleſiæ Præpoſito,

acenſi,

*ternum Devenerando,*

*MDCCXLV.*

uetis

LLWAG, Villopaganus.

. Stip. Tub.

HOFII & FRANCKII.

# PRÆFATIO.

NUlla lucis publicæ cupiditas vel ratio illaudata quæcunque alias conatibus hujus mei similibus substrata esse vel potest vel solet, hanc genuit Dissertationem: sed sola obsequendi hortationi & auctoritati Superiorum voluntas. Magnificus Dominus Præses, Patronus meus maximopere suspiciendus nil tale cogitanti, cum Ipsius ego operam in scribenda Dissertatione benignissimam post proximas ferias Autumnales exspectarem, hortator fuit primum suasorque, ut meas scribendo periclitarer vires. Reverenter ego quidem prima vice deprecationem negotii modesteque tentabam, quoniam non sentirem mei esse hoc consilium vel ingenii vel juris: Ast hortationi accedebat, monente Illo, auctoritas, qua Superioribus noviter visum esset, provocare interdum unum alterumve e cœtu nostro ad experimentum sui hac occasione ostendendum. Quibus proinde admotis animo rationibus, cum Reverendissimi Domini Præsidis judicio designarer ad id faciendum, humile fuisset minimeque ingenuum, morosiori prætextu denuo se subducere. Morem adeo potius gerens, Dictum quod seligere placuit Magnifico Domino Præsidi, heic explicatum, pro meæ convictionis μέτρῳ, sisto Lectori Christiano; & si quid mutationem monitionemve merebitur, docilitatem & animum veritatis cupidum abs me exspectet, atque ut ab eo benevolentiam amoremque exspectare mihi liceat, etiam atque etiam rogatum volo.

Luc. VII. 47.

Ὀυ χάριν, λέγω σοι, ἀφέωνται ἁι ἁμαρτίαι ἀυτῆς ἁι πολλαὶ, ὅτι ἠγάπησε πολύ· ᾧ δὲ ὀλίγον ἀφίεται, ὀλίγον ἀγαπᾷ.

§. I.

AD intelligendum hujus a Salvatore Dicti sensum requiritur ante omnia, ut scopum dicentis exquiramus. Quo fine oportebit nos, supposita vocum intelligentia, circumstantias & respectus rerum varios dispicere, & quorsum omnia junctim sese referant, videre. Sistunt primo se nobis quadruplicis generis Personæ in ea nempe pericopa, ad quam Dictum nostrum pertinet: primo Jesus, deinde Pharisæus, nomine Simon, præterea mulier, peccatrix, tandem ceteri Simonis convivæ. De Jesu nihil non apertum: de muliere satis clare loquitur Lucas, an fuerit Maria Magdalena, sunt qui quærunt, sed nihil ea quæstio illustraret in nostro dicto: quid de Simone & ejus convivis sentiendum, paululum videbimus.

§. 2. Peroraverat Jesus c. h. v. 24 - 35. de Johanne, questus præcipue de Pharisæis & Legisperitis v. 30. cum Johannem, tum Filium hominis, utrumque quidem judiciis è diametro inter se oppositis, ab istis reprobatum esse.

§. 3. *Pharisæorum*, qui antecedente gravi elencho v. 30. nominabantur, *unus* v. 36. *non multo post* elenchum (nectit enim particula δὲ, dum non valde distinguit) invitat Jesum ad *convivium* v. 36. & 49. si v. 40 s. 42 s. - 47, verbo: totum Jesu sermonem cum illo, valde clementem, conferas: verisimiliter hactenus concludas, hoc eum fecisse, superiori oratione Jesu a v. 31 - 35. aliqua parte commotum, atque de calumnia v. 34. ad æquiorem erga illum rediisse mentem. Plures nervi deinceps sese exserent ad hanc observationem magis confirmandam. Calumnia illa erat duplex, prima quod sit φάγος καὶ οἰνοπότης, altera quod sit amicus publicanorum & peccatorum. *Priorem* tamen videtur Pharisæus facilius quam posteriorem dimisisse, invitans Jesum ad convivium, id quod Salvator ut amoris specimen, licet ad ulteriora & majora alliciens v. 42. 44. 47. non plane dissimulat. Adde quod *ipsam posteriorem*, præsente

sente peccatrice, redivivam animo suo mirifice emollire studuit, uti patet ex v. 39. coll. cum v. 34. & eo quoque significationem, quod melius de Jesu sentire cœperit, edidit.

§. 4. Ecce! vero, qua fide Amor Dei in μετανοιαν duci cœptos promovere ad ulteriora patienter quasi laboret. Posteriorem de Jesu calumniam difficulter ponit Pharisæus licet commotus, nec capit consuetudinem ejus cum hominibus tam decoctæ existimationis. Convivium igitur ipsi convertitur in scholam, qua rem tam difficilem cum mora addisceret, & in propinquo spectaret.

§. 5. Accumbente Jesu cum Pharisæo & ceteris v. 49. quædam ex urbe mulier, peccatrix v. 37. valde quidem infamis v. 39. & post magna flagitia nihil utique sibi reliquum videns præter conversionem, accedit & Jesum colit plenissima amoris humilitate. Pharisæus mulierem conspicans, recurrente habitu abstractionis etiam atque etiam sanctæ nihil in ea vidit detexitque, nisi quod sit tota peccatrix. Miratur sane, quod Jesus, Propheta habitus, non ut ipse pernoscat eandem atque aversetur (quæ, ait, tangit illum,)

§. 6. Vide, quantum ex calumnia v. 34. remiserit? Non dicit secum: *est amicus* publicanorum & peccatorum, sed: *non novit*, quod hæc sit peccatrix. Voluntatem Jesu sanctam esse nunc concedit, dubitat tantum de intellectu: dicit enim: ἐγίνωσκεν ἄν. Hoc unum est, ex quo Pharisæum hunc judices. Secundo Lucas notanter *eum* distinguit ejusque hoc judicium de Jesu mulieri accessum permittente v. 39. ὁ φαρισαῖος ὁ καλέσας duplici articulo. Ergo plures aderant Pharisæi v. 49. quibus Simon cum suo de Jesu judicio eo ipso duplici articulo contra distinguitur. Quid igitur *ceteri* cogitarunt? Non exstat: certe non idem, quod Simon. Quid igitur? cur Lucas non memorat? quid opus erat, jam extat, quid antea senserint v. 34. fuerunt Pharisæi, nunc totam rem ut specimen ejus, quod ante calumniati erant, & quod denuo multum attendere nihil attineret, reputaverint. Simon igitur ceteris melior fuisse videtur, mollius quam reliqui judicans, innuente Luca. Hinc tertio cum deinceps mulieri remissionem denunciaret Jesus, non tam Simon, quam ceteri συνανακειμενοι mirari secum, quis hic esset qui vel peccata remitteret, incipiebant. Nam quod hi mirabantur mulieri dictum, id Simon jam ante privatim perceperat

 a Jesu

a Jesu. Ergo plus ceperat in hac re quam reliqui, utpote propius institutus. Quarto quod supra tetigimus, non vacuo plane omine invitavit Jesum ut cum ipso ederet; malæ intentionis nihil plane innuit Lucas subfuisse, quemadmodum e. g. Luc. XIV. 1. Gravis profecto elenchus antecessit, & clementer humaneque in accubitu cum Simone collocutus est Jesus. Ex quibus omnibus colligas, quod hic Simon, non procul a regno DEI abfuerit, sed revera in via μετανοίας fuerit constitutus. Adde & hoc, an non applicabile hic sit, quod Salvator dicit: Qui habet, ei *porro* datur? atqui Pharisæo dabatur hic *propior* institutio de conversatione Jesu cum peccatoribus, secus ac illis de quibus Matth. IX. 11. qui breviter redarguuntur. Aliquid igitur habuisse credendus est, hoc est resipiscere cœpisse. Cui bono hæc omnia? Butem, cognitionem scopi verborum Jesu necessario hujus Pharisæi Ideam prærequirere.

§. 7. Hactenus itaque circumstantias discussimus, (§. 1.) & quis status animi penes Pharisæum fuerit, quas cogitationes, conspicatus mulierem ad pedes Jesu, conceperit, §. §. anteced. animadvertimus. Nunc quis inde nobis prospectus præbeatur ad scopum sermonis Jesu v. 40-47. dignoscendum, experiamur. Simon non procul erat a regno DEI (§. 6.): de quo igitur Jesus cum eodem tunc egisse existimandus est, si vel nondum inspicias sermonem? Nonne divinemus, magis eum allicuisse ad justitiam cœlestis regni? nonne vaticinemur, dimovendis & destruendis iis, quæ impedierant adhuc, dedisse operam? Quid fuerit, quod obstiterit? erat Pharisæus, confer. §. 4. *Porro* ex junctura sermonis Jesu v. 40. cum v. 39. in terminis patet, quis scopus dicentis, Salvatoris, in genere fuerit? nempe respondere Pharisæo tacite secum, quæ v. 39. memorantur, volutanti. Sed ex illa cogitatione Simonis specialius nunc metiri, quid responsurus esset Jesus, & scopum sensumque totius Orationis accuratius complecti dabitur. Dicit Pharisæus v. 39. aliquid in Jesum, dicit aliquid in mulierem: hanc quidem ut peccatricem aversatur, tali viro, qualis Jesus esse videatur, itidem penitus detestandam: illum propterea non cognoscere mulierem (aversaturum, si nosset, clare supponit) colligit, at vero inde etiam sibi scrupulum contrahit, an sit Propheta? Facile nunc est, ni fallor, dicere, quid Jesus Pharisæo persuadere inten-

intendat? Primo se non solum esse Prophetam, sed multo plus quam Prophetam v. 26. nempe Eum, qui possit peccata remittere, con^fer Effectum v. 49. Secundo mulierem, a qua se Jesus, judicio Pharisæi, minime tangi patiatur, non amplius esse peccatricem v. 44 - 47. Respondet itaque pro muliere, respondet pro se; utrumque autem sic mutuo inter se subtiliter sapienterque compingit, ut simul ipsum Pharisæum in sui & ejus quid ipsi desit, quidque offeratur, cognitionem plane inducat. Eo igitur omnia collineant, quæ deinceps sequuntur; quæ ubi specialiter viderimus, scopum hunc, quem indicavimus, Salvatori omnino fuisse, exploratius cognoscemus.

§. 8. Propius admovemur ad explicandum Dictum nostrum. Vidimus, quorsum totus sermo Jesu ad Pharisæum spectet? Jam cum Effatum, quod tractamus, istius pars sit, expediet, integram orationis telam retexere veluti & qui cum hac cohæreat illud, pervidere. *Primo* observamus, vocem Dicti primam ου χαριν referre particulam illativam, adeoque sisti nobis in eo conclusionem alicujus Argumentationis. Quam quærentes in antec. *secundo* loco invenimus Parabolam, a Jesu propositam Pharisæo v. 40 - 43. idque peramice v. 40. (refer ad §. 6.) Sunt in ea quatuor partes diserte notandæ: 1. Duos esse debitores in ære cujusdam creditoris. 2. Esse eos ambo non solvendo. 3. Creditorem, sola hac inopia præsupposita, utrique condonasse debitum. 4. Remissis *demum* debitis, amorem sequi utriusque in creditorem. In terminis hæc omnia insinuat textus, e. g. quoad quartum, verba habent: τις, ειπε, πλειον αγαπησει (in futuro) αυτον. Harduinus, Jesuita Parisiensis, Comment. in N. T. ad h. l. scribit: τις αγαπησει? minus recte! nempe in futuro. Quid opus habet, cum integrum Textum græcum plane simul proscripsisset, loca vel vocabula, hæc, illa, sigillatim denuo dispellere, si nihil alioquin præcipui subsit? *Tertio* a parabola transit Jesus v. 44. ad ejusdem Applicationem. Quo fit, ut Parabola referat Majorem Propositionem Argumentationis, quam quærimus; Applicatio deinde v. 44 - 46. efficiat Minorem; Conclusionem denique nostrum constituat oraculum. Fere & in hunc modum Pareus Opp. Theol. Tom. II. in Advers. ad Luc. h. l.

§. 9.

§. 9. Comparationem proinde instituamus Propositionum: Applicatio, quam facit Jesus v. 44 non satis consonare videtur Parabolæ. Incipit enim Salvator ab amore, qui est in Parabola consequens totius actus Parabolici. (infra §. 21.) Meminerimus ergo scopi, quem habet Jesus; vult is revincere Pharisæum, quod mulier non amplius sit peccatrix. Fuisse eam, se nosse ostendit, v. 47. adhuc esse negat, & jam Simoni commonstrat. Simonem ergo primo ducit in *amorem* mulieris valde apertum & irrefragabilem v. 44. (βλεπεις, ait, ταυτην την γυναικα) multum v. 47. majorem quam Simonis, denuo v. 44 - 46. Constringit inde Simonem conclusione, gravi inserta formula: λεγω σοι, his verbis: ἀφέωνται αἱ ἁμαρτίαι αὐτῆς αἱ πολλαὶ (probe cognosce Pharisæe, caussam hujus meæ assertionis modo dictam:) ὅτι ἠγάπησε πολύ. Quæ consequentia? hanc probat Parabola.

§. 10. Argumentum Salvatoris resolvamus: Quicunque peccator, multorum peccatorum reus, multum amavit, ei multa sua peccata remissa esse oportet. Atqui mulier, valde peccatrix, multum amavit. Ergo mulieri, valde peccatrici, peccata sua multa remissa esse oportet. Minoris propositionis subjectum sic a Salvatore assumitur v. 47. in verbis αι αμαρτιαι αυτης αι πολλαι. Propositionem ipsam plenissime probat v. 44 - 46. Conclusio coincidit cum verbis: ἀφέωνται αἱ ἁμαρτίαι κτλ. Majorem supplevimus ex Minore & Conclusione, Prædicatum Minoris cum Prædicato Conclusionis connectendo. Eam vero probat Parabola, ita quidem, ut ejus probatione hæc non exhauriatur, sed præterea ulterius quiddam velit, id quod ex comparatione deinceps sequenti elucebit. Confer itaque v. 41 - 43. quis igitur, ait ad Simonem, quis debitorum creditorem plus amabit? respondet: is cui plus remisit creditor. Problema igitur hoc est: invenire vel divinare, cui plus creditor remiserit? *Data* sunt: duo Debitores, quorum alteri præ altero (uter sit? ignotum) plus æris alieni a creditore remissum, & specimina amoris utrinque edita. *Quæsitum*: uter sit, cui plurimum condonatum erat. Solutio cum Demonstratione: attende utriusque amori (βλεπεις την γυναικα, ait Jesus,) & uter altero plus amet, cognosce. Scies inde, utri plus remissum fuerit? Quicunque enim debitor (adde, qui postulatus non habet quod solvat) creditorem plus

plus amat, quam alter debitor, qui itidem amat, ei plura quam alteri debita remissa sint necesse est. Pone debitori, qui plus amat, non plura esse peccata remissa: tum minus recte respondit Simon contra effatum Jesu: eum nempe plus amaturum, cui plus remissum sit. Si igitur verum est, quod qui plus amet, eidem plus sit remissum: verum etiam est, quod qui debitor *in genere* amet, eidem quoque remissum esse debeat; & qui magni æris alieni debitor multum amet, ei magnum suum æs alienum remissum esse debeat: quæ erat Major Propos. probanda.

§. 11. A conclusione, *uti jacet*, regressi sumus ad Præmissas ex verbis Salvatoris *demum extrahendas*, sive exhauriantur verba illa, sive non. Nunc verba Salvatoris, quæ præmissarum loco dixit, *uti jacent*, in omnibus suis determinationibus ad conclusionem referemus. Major Propositio Salvatoris sistit creditorem, ejus duos debitores, alterum plus, alterum minus, debentes, condonationem ab illo utrique factam, utriusque erga eundem pro ratione remissi debiti secutum amorem. Jam in Minore determinat & creditorem & debitores: Mulier hæc, innuit, plus me amat, quam tu Simon v. 44. Ergo Jesus in muliere designat debitorem debiti majoris: in Pharisæo eum qui minus debuit, & sibi creditoris partes tribuit. Sed probe observes, quod neque se creditorem, neque debitores memoret, verum de amore mulieris & Simonis erga se simpliciter loquatur. Interim in Minore, qua subsumturus amorem ut Medium terminum reposuit, non potuit debita memorare, cum ad alterum Majoris extremum pertineant. Quid ergo in Conclusione? *Remissa sunt peccata ejus, multa illa, quoniam amavit multum. Cui vero parum remittitur, parum amat.* Hic sinuare se sermo Jesu & semet ipsum velut occultare videtur. Cur ita? accipe scopum Jesu, quem cum Pharisæo habuit, ex §. 7. sub finem & vide quid ex præmissis ipsi supplendum reliquerit. In Minore dixerat ad conformitatem Majoris: α) Mulier hæc β) me plus amat, quam γ) tu Simon. β) Creditor: α) & γ) Debitores. Hactenus convenienter Determinationibus Majoris. In Conclusione 1) *sui* mentionem plane omittit Jesus, nec dicit: *ego* remisi, quod vi Majoris & Minoris dicere debuisset, sed modo: remissa sunt: porro 2) non dicit; quod amavit *me* multum, sed: quod amavit multum:

 3) etiam

3) etiam haud dicit αἱ ἁμαρτίαι αἱ πλειονες, sed αἱ πολλαι, non temere, cui deinceps ὀλιγον respondet. 4) Præterea non: amavit *plus*, sed: *multum*: deinceps ὀλίγον. 5) Denique cum ad Pharisæum devenit, non loqui cum eo in secunda persona pergit, uti v. antec. in Minore ἔδωκας, ἤλειψας, sed in tertia: ᾧ δὲ ὀλ. nec modo 6) non dicit: remisi, sed ne dicit quidem: remissum est, uti tamen Parabola in ordine ad utrumque debitorum, ἐχαρίσατο, habet, verum in Præsenti duntaxat: remittitur. Et 7) similiter non modo non dicit: ηγαπησε με, sed ne quidem ηγαπησε, uti de muliere, verum αγαπα: & 8) præter ea omnia non amplius in comparatione cum muliere loquitur, sed absolute & simpliciter ολιγον ponit. Octo itaque determinationes, quas generasset Parabola in conclusione, resecantur partim in eadem, partim occultantur: neque temere. Potest hoc specimen esse sapientiæ & amoris Salvatoris & quam mira subtilitate animum hujus Pharisæi aggressus & complexus sit; ειχε profecto τι ειπειν αυτω v. 40. Dum nunc membratim verba Dicti nostri disquiremus & excutiemus: ad has observationes respiciemus, & quid rationis ad unamquamque afferre liceat, tentabimus.

§. 12. Οὗ χάριν, quapropter) Est hæc particula illativa, & verba: ὅτι ηγαπησε, cum ea construenda. Nam illud ȣ Relativum refertur ad specimina illa amoris ante memorata, ἠγάπησε autem eadem illa simul exprimit: quare, cum in eadem sententia simul terminantur, ȣ χάριν & ὅτι, coincidunt. Hinc proprie ὅτι ἠγάπησε proxime post ȣ χάριν ponendum. Jam vero ȣ χάριν construi potest cum λεγω σοι: ergo & οτι; consequenter innuere causam assertionis posse nec necessario rei ipsius debere significare cernitur vid. infra §. 20.

§. 13. Λέγω σοι, dico tibi) Gravis formula, collocutore illo digna. Convincit Simonem argumento: Conclusionem tamen, formula auctoritatem spirante, munit, methodo decentiæ divinæ & humano cordi ανοητω & βραδει Luc. XIV. 25. congrua. Decuit Salvatorem, uti & alibi, protestationem aliquam familiaritati colloquii adspergere, ne videatur *teneri* rationem reddere ejus, in quo hærebat Pharisæus. Deinde exceptiones, re sic declarata, ut socordiæ & ἀνοησίας effectus in antecessum reprimit redarguitque. Denique quum non dicit: ego remisi peccata ejus, sed: remissa sunt,

(§. 11.)

(§. 11.) hac formula dico tibi idem supplet, & intelligendum Pharisæo præbet, uti quidem intellexere ceteri ex v. 48. Si quidem nemo, an cui sint remissa peccata, tam asseveranter potest dicere, quam Ille, qui remisit.

§. 14. Αφεωνται αι αμαρτιαι αυτης αι πολλαι, remissa sunt peccata ejus, multa illa.) Meditandum hic primo illud est ex §. 11. cur Jesus dicat αφεωνται, nec αφηκα? Finis utique ejus *proximus* est, tueri mulierem Simonique persuadere, non esse eam amplius peccatricem (§. 7.) Sed majora præter hoc intendebat. Volebat profecto, credere Simonem, se esse eum qui εξουσιαν habebat peccata remittendi; Sed Decori divini ratio in præsentibus circumstantiis ex una parte, ex altera fidei in Pharisæo generandæ justa forma, hoc ηθος sermonis postulasse videntur. Ex ll. Evang. Joh. V. 31. VII. 18. VIII. 14. 16. 50. 54. X. 25. 37. 38. patet, qua modestia sine tamen præjudicio suæ auctoritatis, de se locutus subinde fuerit, quam quoque hic singulariter usurpasse plane intelligitur. De fide confer Matth. XVI. 15. 16. Petrus, interrogante Jesu, quem se esse dicerent discipuli, respondit: Tu es Christus &c. atqui hoc ante *de se non dixit* Jesus, sed discipuli ex dictis ejus factisque, revelante Patre v. 17. sponte agnoverunt. Hæc vero erat justa fidei ratio, in quam & hunc Pharisæum Jesus studebat transferre, atque eapropter *sui mentionem occultabat.*

§. 15. *Remissa sunt peccata ejus, multa illa.* Subjectum est *Peccata ejus, multa quidem, remissa sunt* est Prædicatum. Inversus utriusque ordo gravitatem rei propositæ innuit, & παθος quoddam refert. Peccata Jesus parabolice repræsentat *ut debita* v. 41. Debita dum dicit, v. 42. χαριζεσθαι adhibet: de Peccatis αφιεναι occurrit. Solent & inter se, permutari e. g. in oratione Dominica: αφες ημιν τα οφειληματα ημων & Col. II. 14. χαρισαμενος ημιν τα παραπτωματα ημων. Non tamen est nulla, ut arbitror, differentia. χαριζεσθαι remissionem peccatorum magis ut beneficium Remittentis refert; αφιεναι magis ut commodum ejus cui remittitur. Vel Illud verbum *plus Relationis* ad *clementem* Remissorem, hoc plus ad *liberatum* Peccatorem involvit. Quemadmodum etiam *peccatum* magis proprie ad regulam, legem & conscientiam refertur: *debitum* vero proximam Relationem habet ad creditorem. Hinc in V. T.

T. peccata subinde ut aberrationes a regula, præceptis, trangressiones legis, prævaricationes, dubito, an unquam ut debita, repræsentantur: in N. T. autem debitorum singulariter adhibetur schematismus, ita ut non unam parabolam salvator de iis proposuerit. Conf. Matth. XVIII. 23. & in solenni Precum formula c. VI. 12. coll. Luc. XI. 4. In V. T. nempe lex vigebat, in N. autem T. Deus in Christo propiorem se dedit promittens, & remittens. Gal. III. 19. 20. 21. Conf. Col. II. 13. 14, Christus, satisfactione pro nobis præstita, nos habet ut suos debitores, quibus (χαρισαμενος coll. c. III. Col. v. 13.) libere condonet debita. Sic congruit utique Parabola nostra, Personam Jesu Pharisæo quamvis in ænigmate ostensura.

§. 16. Contrarium τȣ αφιεναι est κρατειν Joh. XX. 23. Luc. I. 77. dicit Simeon per Spiritum S. quod γνωσις σωτηριας sit in αφεσει αμαρτιων. Cum remissione peccatorum connexa est liberatio a toto regno tenebrarum & tota salus & justitia regni Dei Act. II. 38. & qui remissionem nactus est, γνωσιν σωτηριας habet, ante eam non item. Fundamentum ejus post Effusionem Spiritus S. clarius, quam antea revelabatur, nempe απολυτρωσις δια τȣ αιματος αυτȣ h. e. αφεσις αμαρτιων Eph. I. 7. Col. I. 14. Hebr. IX. 22. Magni quid erat in auribus Pharisæorum & Judæorum dicere v. 49. remissa tibi sunt peccata: Lex Moralis & Ceremonialis peccatum stitit ut peccantissimum Rom. VII. 13. atque hinc Remissionem mirifice exaltavit.

§. 17. Αφεωνται, remissa sunt) Est Præteritum Atticum pro αφεινται. Discedit Vulgata & Præsens habet. Sunt & qui putant, habere αφεωνται hic significationem hortativam, ut Ecclesia peccatoribus specimina conversionis edentibus non difficilem se præbeat in concedenda communione &c. conf. Calvin. in Harm. ad h. l. Sed e Simonis & Pharisæorum communione & receptione vel agnitione parum fructus cepisset mulier, neque totus scopus tale quid involvere videtur. αι αμαρτιαι αυτης αι πολλαι) Respicit hoc versum 39. Secundum tenorem Parabolæ pro αι πολλαι poni debuisset αι πλειονες. Non vult peccata mulieris cum peccatis Simonis contendere, haud concessurus mulierem peccasse gravius, quam Pharisæum, quamvis id ipsum etiam directe non velit negare. Ergo abstrahere eum plane studuit ab ea comparatione suorum peccatorum

torum

torum cum peccatis mulieris, siquidem dies judicii nondum erat, quo demum ponderabuntur peccata omnium. Vitium est φαρισαιζοντων comparare secum, qui crassioribus se volutant flagitiis, cum tamen proportioni suorum reatuum ad alienos metiendæ nulla cuiquam data sit decempeda. Si quis quid statutum secum in eo habere velit, imitetur illud, quod, diverso quidem casu, Luc. XIV. v. 10. coll. cum. v. 11. suadetur, & quod Paulus 1. Tim. I, 15. fin. suo expressit exemplo. Si hunc illumve olim infra se videbit positum, quod tamen nunc nescit: τοτε εσται σοι δοξα ενωπιον παντων των συνανακειμενων σοι Luc. XIV. 10.

§. 18. Αι πολλαι, multa) Hoc est: quotquot erant, adest enim articulus. Pharisæus multa mulieris peccata præ oculis habuit v, 39. jam multa *illa* (cum articulo αι) inquit Salvator, remissa sunt (conf. §. 23.) Nihil itaque inde concludi potest contra omnium peccatorum remissionem. Conf. Magnif. Dn. Præs. Diss. de Remissione Peccat. §. VII. Franckii Anmerck. ad h. l. Divisam Remissionem in Systemate Pontificiorum dari constat, eamque duplicis generis α) quæ culpam & pœnam partiens, hanc luendam nonnullis, remissa illa, relinquit. β) quæ quorundam peccatorum, veniam, ceteris aliquandiu retentis, constituens, ab iis supponi debet, qui Casus Pontifici & Episcopis reservatos in absolutione peccatorum, salva Ministrorum inferioris ordinis absolvendi potestate licet limitata, tuentur. Confer Magnif. Dn. Præs. Diss. cit. in προκαταβλημασι §. 9. Vix equidem cum Pontificiis committerem recentes scintillas litis, de partita quadam remissione, in gremio nostratium emicantes. Quoniam tamen nuper a nonnemine factum est, volui theseos nexum cum systemate Pontificio, qui sit considerandum præbere. Sunt nimirum qui duplicem dari remissionem existimant, alteram remissionem perperam factorum, alteram remissionem corrupti cordis. Primam multos nancisci posse putant, qui ad alteram vel plane non, vel satis sero perveniant. Originem sive occasionem hujus discedentis a recepta thesi sententiæ ex quadam in cura animarum experientia ejusdem ducunt Fautores. In quo ergo ea consistat *experientia*, quærendum est. Observarunt, homines suis malefactis, quorum conscii erant, penitus dolentes, veniam eorum serio a Deo exorantes, exoratamque

que etiam nactos, pace nunc & tranquillitate mentis fruentes, sed minus durabili; redeuntibus enim peccati ενοικȣντ☉ illecebris attentatos denuo se ipsos condemnare, frangi animo & conturbari, promissionibus divinis difficulter fidem habere & sic deinceps. His concedunt, quod acceperint malefactorum veniam, sed mali cordis nullam, nondum remissam ipsis esse radicatam illam cordis contra Deum inimicitiam, incredulitatem &c. Ast non ad experientiam solam, verum & ad scripturæ loca provocant, pro thesi tamen generalius adhuc enunciata, in ordine nimirum ad eos homines, qui vel nullam seriam se convertendi voluntatem gerunt, sed hic & nunc modo metu impendentis pœnæ se humiliant, uti e g. Pharao, Abimelech &c. Ninevitas pariter huc referunt. 1 Joh. I, 9. distinctio illa ινα αφη ημιν τας αμαρτιας, και καθαρισῃ ημας απο πασης αδικιας putatur congruere cum duplici hac factorum & mali cordis remissione, ita ut prius membrum factorum veniam, posterius mali cordis remissionem respiciat. Possit & nostrum Dictum videri tale quid innuere: α) si dicas, αι πολλαι idem esse ac *pleraque*, sed inde eo ipso non omnia. β) si addas, οτι ηγαπησεν πολυ. Atqui non modo multum, sed ex toto corde, non rigore utique legali, sed tenore tamen evangelico, amatura est remissis *omnibus*. Ergo dum nunc nondum sic amat, nondum omnia ei sunt peccata remissa. Consequentia eadem est, quæ in Dicto deprehenditur.

§. 19. Auctores sententiæ, de qua disserimus, vix arbitror reapse dissentientes: an eloquendi modus, præsertim si affectus etiam pius, accurato autem Spiritus cœlestis mediante τω γεγραπται regimini non per omnia obsequens, accedat, hic non declinaverit, de eo facilius asserendo persuadear. Ex observatione eorum supra §. 18. memorata, ut cui natales maxime debet hic novus παιδειας τροπος, id statim patet, quod istis non obversetur Remissio Peccatorum ut actus Judicialis coram Deo extra nos, sed ut *status* pacis ut est in corde, & quidem in utraque Remissionis specie; Aut saltem sensum beneficii hujus cœlestis utrinque una cum remissione proprie tali conjungunt, dehinc etiam confundunt. Jam utique ea docendi forma abludit & a recepto modo & a τροπῳ παιδειας scripturæ. Remissione peccatorum, nostro sensu homo

μετανοησας

μετανοησας culpæ & pœnæ in judicio divino declaratur immunis, ob λυτρον sanguinis Jesu Christi, Filii Dei, fide apprehensum. Ex his facile demonstratur Remissionis indivisibilitas: decerpe enim partem culpæ & pœnæ & impositam homini relinque, ceteris per sanguinem Christi condonatis: tum aut ex parte απολυτρωσεως aut ex parte imputationis & apprehensionis deficiat quiddam necesse est. At utrumque nequit obtinere. De perfectione απολυτρωσεως nulla est quæstio; ergo de apprehensione per fidem, per quam fideli applicatur illa. Si apprehensionem itaque putas particulatim fieri posse; id quod apprehendendum est, dividi posse assumis. Christus ob peccata nostra traditus est & ob justificationem nostram resuscitatus: quomodo divides hæc? quomodo traditum apprehendes pro his peccatis, quin & habeas traditum pro ceteris? quomodo resuscitatum ad justificationem apprehendes particularem, quin habeas ad universalem, i. e. ab omnibus peccatis? Atqui sine hac apprehensione nulla fit remissio Hebr. IX. 22. Ergo omnino remissio est indivisibilis & in puncto consistit. Jam quod ad Phænomena illa attinet, vicissitudines pacis & perturbationis in animis multis: non putandum est, deesse remissionem, sed illius sensum. Hinc Johannes iis, quos suum condemnet cor, non obvertit, quod cordis mali, inimici, increduli non habeant remissionem, & quod nunc demum eam quærere debeant, sed dicit, quod in eo *pacare* cor possint coram illo, quoniam DEus major sit ipsorum corde, & cognoscat omnia, quomodo major? quia remissio non ex cordis sensu, sed ex testimonio omniscii metienda sit. Sed inservire hæc eorum formula de duplici remissione videtur ad mentes istius modi magis excitandas & incendendas, ut celeriora capiant incrementa. Bene! An vero τροπ☉ παιδειας scripturarius in eo supplementum admittit & insufficiens est, saltem nostro forsan tempore? Absit! Confer quæso Ebr. V. 11. VI. 1. cet. vide qui Paulus exstimulet suos Ebræos ad progressus ulteriores, inducatque a principiis verbi de Christo ad altiora, in interiora adyta sanctuarii, ad sanguinem Christi, ad exercitium Sacerdotii Christi & sic deinceps. Ebræorum fides utique hæc omnia jam includebat, sed forte ut granum sinapeos, totam plantam deinceps evoluturum. Quid vero in ea Apostoli exhortatione, exhortandi modo & motivo

desiderari

desiderari supplerique potest? Quicquid vero ante scriptum est, ad nos hac etiam ætate & semper docendos formandosque scriptum est, ita quidem, ut ἄρτιος ᾖ homo Dei, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος. Intensionem eorum amantissimam arbitror, εἰς τὸ παραζηλῶσαι mentes cœlitus tractas ad plenum fervorem Spiritus, spectare, fere colligo ex Exempl s Pharaonis, Abimelechi, Ninevitarum, quos primam tantum male factorum Remissionem adeptos existimant. Sed primo Pharaoni plane nulla obtigit Remissio Peccatorum, verum modo relaxatio pœnæ temporalis uti videre licet Exod. VIII. 15. primam ejus Declarationem subsecuta, quæ in fundo rei plus beneficii non involvit, quam tempus acceptum, dies salutis, cuivis homini *ad resipiscendum* datus, judiciis vero ejusmodi gravibus obscurari solitus, licet non plane abscissus conf. Devter. XXXI 17. 18. Matth. XXIV. 21. coll. v. 22. Adde Jer. XI. 14. Ezech. VIII. 18. Abimelechus liberatus est periculo mortis, quod ipsi Saram, Abrahami maritam, ducturo in uxorem imminebat, de prima quadam malefacti in contradistinctione ad fundum mali cordis, remissione nullum hic vestigium patet. Contra potius cordis integritatem testatur Deus Gen XX. 6. De Ninevitis hoc pariter si quid probent expeditum esse debet, quod ii, quos mali cordis remissionem nactos non esse, forsitan colligunt ex historia temporum sequentium, plane nacti fuerint remissionem, præscindendo jam an sit duplex nec ne? Nam Jon. c. III. v. 10. dicitur quidem, quod se converterint Ninivitæ: Sed non possumus hic universalitatem præcisam & absolutam urgere, verum admittere debemus moralem, h. e. magna pars se convertit, cujus causa toti urbi remissa erat pœna temporalis conf. Gen. XVIII. 26. 28. Quod ad locum 1. Joh. 1. 9. si is est sensus formulæ, bonus ille est, sed formula ex communi eloquendi hæc usu ab eodem valde dissonat. In eo autem est, ut neque deceat difficiles esse in Terminis, neque novo loquendi modo Lectoribus Christianis scripturæ assuetis, crucem figere. Pergimus ad argumentum ex Dicto nostro pro thesi hac formatum: responsio supra §. 18. init. anticipata est ex parte: αἱ πολλαὶ cum artic. induit vim vocis: *pleraque*, sed scopus Salvatoris aliam voci χρῆσιν inducit nempe eam, qua respondetur exprobrationi Pharisæi, ὅτι ἁμαρτωλός

ἐστι.

ςι. Aſſumit enunciatum Phariſæi, & revincit: multa illa, quæ ei objectas, remiſſa ſunt. Sic nihil particularitatis erui poteſt amplius. Alterum οτι ηγαπησε πολυ pariter in reſpectu ad Phariſæum conſiderandum eſt, non determinat gradum amoris in ſe, ſed quousque Simon ei poterat & debuerat concedere ex v. 44 - 46. Ergo amor *multus*, etſi interpreter, non plenus, non ut ſequitur ex remiſſione peccatorum omnium, tamen non probaret remiſſionem diviſam.

§. 20. Οτι ηγαπησε πολυ quia amavit multum.) Amor eſt Criterium Remiſſionis peccatorum 1 Joh. III. 14. proprie inſervit convincendis aliis: fides ad nos ſpectat. Notum eſt tritumque Pontificiorum argumentum ex voce οτι pro Merito Operum. Apol. Aug. Conf. Art. III. de Dilect. & Implet. Leg. §. 7. Prælibavimus aliquid §. 12. §. 9. Bellarmin. Tom. III. l. 2. de Pœnit. c. 12. §. Luc. 7. Dilectio ſive contritio ex Dilectione, quam lacrimæ teſtabantur, aperte dicitur eſſe cauſſa Remiſſionis Peccatorum, ſiquidem Particula illa οτι quoniam cauſſalis eſt „. Ita eſt, οτι eſt particula cauſſalis, ſed indifferenter ſe habens & ad cauſſam eſſendi & ad cauſſam cognoſcendi. Ad poſteriorem determinat Parabola §. 8. & ejus cum noſtro Dicto nexus §. 9. & totus Salvatoris ſcopus. Nam non vult docere Phariſæum, quæ ſit Remiſſionis cauſſa eſſendi, de qua Phariſæus non erat ſollicitus, ſed id, ex quo intelligere ille debeat, remiſſa eſſe mulieri peccata: ſignificat autem deinde mulieri, cauſſam eſſendi remiſſionis eſſe fidem v. 50. η πιςις σα σεσωκε σε. Conf. ſimilis locus 1 Joh. III. 14. Nos novimus, quod tranſcendimus ex morte in vitam, quod (οτι refertur ad οιδαμεν novimus) amamus fratres. Sic in noſtro Dicto οτι congruenter refertur ad λεγω σοι, & cauſſam aſſertionis, non ipſius rei ſive Remiſſionis indicat. coll. §. 9. Contendunt alii οτι extare pro διοτι, idem ſignificare ac *ideo*, locis Parallelis adductis ex V. T. de vocula כִּי quæ οτι exprimit. Subit præter has alia interpretandi via: legitur Marc. IX. 28. οτι interrogative item v. 11. & proprie refert το *quare*: *quam ob cauſſam?* Atqui quid obſtat, quo minus & extra interrogationem hoc ſenſu ſumas, uti το *quare* adhibetur? Sic igitur legas: remiſſa ſunt peccata &c. quare amavit multum. Ceterum in reipſa coincidit hoc cum antecedenti. Antitheton,

 quod

quod sequitur in textu ω δε κ7λ. etiam frangit argumentum Pontificiorum. Si enim amor esset caussa remissionis peccatorum: ita haberent verba: qui vero parum amat, ei parum remittitur, vel cui parum remittitur, is parum amavit. Immo ipsam Parabolam ita debuisset informare, ut dixisset: Erant duo debitores, unus multum amavit creditorem, alter minus. Cui jam plus remissum esse arguis? Respondere autem Simon debuisset: qui plus amavit. Instant autem porro contendentes, remissionem secutam esse amorem, ex v. 48. Sed ibi non conferri demum remissionem antegressa omnia evincunt, sed confirmari, vel potius quoniam quæstio de illa an sit peccatrix adhuc, omni consortio excludenda nec ne? publice in accubitu ventilabatur, *publice* etiam a se *declarari* conveniens esse duxerit Salvator, tum simul qui est alter scopus suam in peccata εξεσιαν demonstravit. Putem adhæc crasin quandam in verbis ειπε δε αυ7η obtinere, ex v. 47. & v. 50. sic resolvendam: ειπε δε προς την γυναικα, λεγω σοι, (vel ut c. VII. 13. σοι λεγω magna emphasi dixerat) αφεων7αι κ7λ. Rationem præbet effectus hujus mulieri factæ declarationis v. 49. Jesus *sic dixit*, ut intelligerent, *ipsum* isti contulisse hoc beneficium, neque frustra fortasse contigit variatio constructionis verbi ειπε α) cum Dativo, deinde β) cum Accusativo.

§. 21. Agnoverunt multi e Pontificiis, quod in sua caussa ex hoc loco nihil proficiant. Conf. Gerhard. Conf. Cathol. Lib. II. P. III. art. XVI. c. III. p. 1264. ad h. l. Factum autem inde est, ut novam meditarentur hermeniam ad stabiliendum id, quod priore ratione non licuit. Sic Maldonatus comm. in h. l. deserens vetera exegesin nunc sic inflectit, ut dicat: utique Parabolam eo ordine res disponere, ut debitorum condonatio antecedat, amor sequatur, sed Salvatorem argumentari deinde inverse, non à simili, sed ab opposito hunc in modum: debitores illi amant creditorem, postquam iis condonavit debita, mulier autem hæc me amat ante remissionem, cum est adhuc peccatrix, etiam atque etiam igitur justum est, ut sua illi peccata remittam, quia amavit multum. Alludit hæc interpretatio ad ordinem textus quo Jesus post Parabolam applicationem orditur ab amore. Sed aliam rationem hujus inversionis ex scopo sermonis dedimus supra §. 9.

Neque

Neque enim applicationem aliter pro ſcopo convincendi Phariſæi facere potuit: quia cum eodem pro ſuo captu de Remiſſione, quæ eſt occulta, nonniſi ex fructu illius diſſerere licuit. Ceterum Antitheton pariter redarguit hanc expoſitionem, ut quod nulla parte congrueret. Adde quod ſi verum eſt, quod cui parum remittatur, parum amet, verum quoque eſſe oporteat, quod cui nihildum remittatur, nihil amet. Atqui illa expoſitio huic Propoſitioni e diametro obverſa eſt. Amorem enim ponit ante Remiſſionem.

§. 22. Ηγαπησε, amavit) En! ſpecimina & argumenta amoris 44-46. ex quibus mulierem defendit Jeſus, hæc ſunt: lacrimis madefecit pedes Jeſu, & deterſit crinibus capitis ſui; oſculata eſt pedes Jeſu; unguento unxit pedes Jeſu. Summa officia quæ nemo a ſervo poſtularet, & optima ſua quæ in ipſum conferre potuit, vix (οπισω accedens) ejus pedibus digna eſſe exiſtimavit; adeo nihil mereri ſuo amore voluit, quod voluiſſe debuiſſet, ſi eo merenda fuiſſet remiſſio, ſed eſt profecto *merituræ diſſimillima.* Si amando meruiſſet remiſſionem, habuiſſet quod ſolveret v. 42. contra verba & tenorem Parabolæ §. 8. Confeſſores noſtri paſſim LL. SS. merito operum ſeu Dilectioni remiſſionem præcedenti graviter opponunt, impoſſibile eſſe, ut homo ante remiſſionem vere diligat, cui incubet ira Dei, fingere quidem poſſe, ſe diligere, ſed excuti omnia, expergiſcente ſenſu iræ. Deum ſane amare ejusque præcepta ſervare nemo peccator poteſt, niſi liberatus. Amorem definiri conſtat per promtitudinem voluptatem capiendi ex alterius perfectionibus. Lis illa forenſis in conſcientia peccatoris Rom. I. 32. II. 14. 15. 16. & Ira divina, cujus filius eſt Eph. II. 3. eas offundunt animo humano turbas, offuſasque tenent, ac obſident quaſi illum, ad ſtuporem usque, ut perfectiones divinas ſibi nunquam ſatis reflexe pro gradu totius ſuæ vis repræſentativæ ob oculos ponere valeat, idque ex generali regula Pſychologica: Senſatio vel repræſentatio fortior minuit, immo obruit debiliorem. Quare neque voluptatem inde *veram* capere poteſt, neque adeo amare Deum. Ex conturbatione illa ſe ante remiſſionem reatuum nemo explicabit vel eriget: Rom. VIII. 3. 7. 8. gignit ſenſim ſtuporem Matth. XIII. 15. expreſſum voce επαχυνθη, porro πωρωσιν Eph. IV. 18. & αναλγησιαν v. 19. (απηλγηκοτες), tum migrante do-

& doloris capacitate, spes exsulavit convalescendi. Armenianos novimus, amorem urgere in materia justificationis, propterea quod fides nunquam sit sine amore, & amor non sine fide Gal. V. 6. Amor itaque hic loco fidei a Salvatore nominari per Antonomasian videri possit. Sed notum est, fidem non justificare, ut est amando operativa, sed ex objecto, quod apprehendit. Apposita est observatio Confessorum nostrorum Apol Aug. Conf. Art. III. de Impl. Leg. §. 7. Christum usum esse verbo *Dilectionis* non apud mulierem, sed adversus Pharisæum „Dilectio est complementum Legis. *Quo plus quisque amori in hac re præ fide tribuit, eo Simoni est similior & a sensu Domini & mulieris alienior.*„ Ita Dn. Bengel. in Gnom. ad h. l.

§. 23. ηγαπησε πολυ, amavit multum ) Non dicit: *me* §. 11. Ratio §. 14. allegata & huc pertinet, præsertim quod de fide dictum ibi est, multo magis de amore valet. Amor, extorquendus, est nullus. πολυ, multum §. 11. recedit Jesus a comparatione amoris utriusque, ut Simon ceteris attendat magis necessariis, & quod ad amorem, eundem magis sibi relinquit: unde deinceps in tertia Persona loqui pergit. πολυ resp. αι πολλαι: si multa remissa, multus est amor ( per Parabolam ) si amor est multus & amantis multa fuere peccata (possunt enim etiam non multa fuisse:) multa illa αι πολλαι (en! genesin articuli) sunt remissa.

§. 24. Ω δε ολιγον αφιεται, ολιγον αγαπα, cui vero parum remittitur, parum amat) ω δε. non: tibi vero. Hactenus de muliere dixit, seque simul Simoni cognoscendum dedit, nunc magna lenitate eundem ad se ipsum reducit. Nisi alius, ac ceteri, fuisset hic Pharisæus: Jesus tam leniter vix eum tractasset: Hypocritas alias aperta fronte facile appellabat, in sua si se tollebant præsumtione vel sapientiæ vel sanctitatis. Ολιγον αφιεται) ante accessum mulieris, peccatum calumniæ ei procul dubio obversatum fuerit respice §. 3. & 6. & quidem cum agnitione, quo casu remissioni peccatorum propinquus fuisset. Sed subeunte oculos peccatrice hac & secum ipso collata, peccatum illud calumniæ ad ολιγον in animo ejusdem redierit, vix peccati nomine dignum. Quare opportune eum hac voce pungit, assumta ex animo Pharisæi, atque κατ᾽ ανθρωπον loquitur de ejusdem peccatis. Ita sane hoc ολιγον interpretandum esse, ex objecta dein parvitate amoris colligimus, quam

utique

utique censeri ex verborum ad Simonem habitu patet. Sic & nihil ex ea lucrantur ii pro sua sententia, qui divisam duplicemque peccatorum remissionem inde velint probare, præsertim si addas quæ deinceps §. 25. sequuntur. Cur ολιγον, nec ηττον dicat, ex supra dictis patet. Dicis: quis credat Pharisæum in sermone illo verba tam subtiliter excussisse vel excutere potuisse, uti hic excutiuntur: quod cum factum esse nequeat; neque Jesus existimandus est verbis hisce omnia ea intendisse & ad vivum resecasse. Sed facile hoc de Pharisæo, ut arbitror, credit, qui novit meminitque, quomodo homo sæpe rudis nec valde promtus si quo sermone vel effato tactus commotusve sit in quamcunque partem, omnia verbula ad apicem, ad gestum usque minimum meditando persequi possit & soleat. Talem vero hunc fuisse inter alia vel ex hoc uno auguror, quod Jesus *aversus veluti* in tertia persona de ipso pergebat loqui. Et ολιγον ολιγον valde notanter ei obvertit. Qui nempe se *comparans minus* aliis se peccasse considerat, itendidem & parum peccasse (*absolute*) sibi facile videtur.

§. 25. Αφιεται, remittitur) Præsens uti & in αγαπα. In *Parabola* dicitur εχαρισατο αμφοτεροις vi verbi præterita. *Proprio* nunc sermone innuitur, hanc ipsi nondum obtigisse, sed *paratam* esse, modo agnoscat eum, qui per se dicere potest αφεωνται. Discrepantia temporis in verbo Parabolæ & in verbo sermonis proprii *oblatam* gratiam concinne repræsentat.

§. 26. Ολιγον αγαπα, parum amat) quid est hoc ολιγον? tu hoc non fecisti, neque istud, neque illud §. 44-46. quid igitur? parum amas. Auribus utique Pharisæi, justitiam ex lege, quæ est amor, sectantis grave hoc fuerit. Ratio autem cur quis parum amet, doceat Simonem quid ipsi desit? Non defuit Remissio, in medio erat collocata: ergo peccata defuerunt? ergo plus peccandum erat, ut plus possit remitti & major sequatur amor? Non sane! sic igitur se exserit, quid Simon animadvertere debuisset? quid igitur? parum ipsi videri, quod peccasset; reipsa vero plura esse & majora quæ perpetrasset, quæque *deberet*, quam ipse secum existimaret. Pharisæus parum *amans* & tamen justitiam suam ex lege sectans se ipsum prodit, quod peccata sua non agnoscat vel ipsa monente lege. Parum enim amans longe abesse se ab imple-



tione

tione legis & debitorem præsumtione sua graviorem esse significat.

§. 27. Remissio peccatorum ex vi τȣ κρατειν Joh. XX. quantum bonum & quam desiderabile sit, cognoscitur. Hinc V. Testamenti œconomiæ erat συγκλειειν & φρȣρειν υπο νομον, Gal. III. 23. ut γνωσις σωτηριας in N. T. eo majori, mediante opposito, desiderio & ardore excipiatur & agnoscatur ut quæ est in αφεσει αμαρτιων Luc. I. 77. coll. Es. LXI. 1.

§. 28. Est & illud inter honores & beneficia Dilectorum Domini; aliis, etiam adversariis ac inimicis eorum, declarante & testante Domino, manifestum fieri, remissa istis esse peccata, & gratiam obtigisse. Magna hinc Angelo Philadelphiæ datur promissio Apoc. III. 9. inimicos ipsius flexo poplite cognituros, quod Jesus eum amaverit.

§. 29. Tentatio est magnis & apertis peccatoribus fere propria, ut nacti etiam Remissionem Peccatorum, priusquam legitimatione sæpe divina muniantur, protestationes non solum cœci mundi, sed & discipulorum Christi sustinere cogantur, uti e. g. Paulus Act. IX. 13. 26. 1 Cor. V. 1. coll. 2 Cor. II. 6. 7. Ex quibus protestationibus *vis* pellucet, qua Ecclesia etiam quoad membra ejus sigillatim spectata peccatores scandalizantes *ligatos* teneat.

§. 30. Non ea peccata sola, quæ in foro humano & suo cujusque æstimio vel magna vel parva censentur, in judicio etiam divino vel magna vel parva censentur. Matth, V. Peccata exigua visa valde graviter dispunguntur.

§. 31. Αμαρτια terminatur in non-amore Dei, sui ipsius & proximi. Cur? αμαρτια est ανομια: Lex vero urget amorem Dei, sui ipsius & proximi. Quodsi itaque amor est criterium Remissionis peccatorum: sequitur ante Remissionem nullum amorem neque Dei neque sui ipsius neque proximi verum esse: neque adeo quenquam hominem, peccatis nondum remissis, vel Deum vere colere, vel societatem candide colere, salutisque publicæ curiosum esse, vel in sua ipsius re vere sapere posse.

§. 32. Difficultatem explicaturis faciunt, qui in peccatorum suorum reatu aperte adhuc constricti tamen tam speciosa amoris, honestatis, sapientiæ, veritatis specimina edunt. Meum non

est

est judicare quenquam, sed videre, quomodo fieri id in ejusmodi hominibus possit, pertinet ad cognitionem scandala avertentem. Nullus homo in orbe Christiano, si careat venia peccatorum, imodo ut ethnicus tenebris obsessus considerandus est, qui nihil unquam vidit & similis est cœco inde a nativitate, sed ut talis qui quidem nunc caligine tenetur, sed similis est cœco, qui haud ita pridem vidit, seu visum apertis oculis amisit Matth. XIII. 15. Si qua parte hominis corde potita olim est gratia, sed iterum excussa: habitus gratia effecti principiative quidem sunt ablati, sed terminative in natura recipiente non protinus cessant. Hinc egregie mentiri pietatem istius generis homines imitando possunt, & retinent formam ejus aliquam, cicuritatem quandam carnis, alioqui ferocis, ceterum tamen dominantis, quibus fit, ut mundus noster Christianus tot placidos, mites, humanos, elegantes, politos, sapientes, veritatis theoriæ cedentes (quæ alias animos hominum ferocissime resistentes habet) in scenam producere queat, licet gratiæ undiquaque expertes.

§. 33. HARDUINI supra memorati paraphrasis in Dictum nostrum sic habet: Eam ob rem dico tibi: Ecce ista mulier, non exspectavit, dum essent remissa sibi sua peccata, ut multa mihi præberet amoris indicia. Intellexit enim non remitti peccata, nisi *prius* diligentibus Deum & Christum ejus. Idcirco remittuntur ei peccata multa, quoniam prius dilexit me multum. Cui autem minus dimittitur, te ipso judice, hic procul dubio minus *diligebat* (coll. supra §. 8.) Et tu quidem ille es, Pharisæe, qui quoniam te nec tot nec tantis sceleribus obnoxium esse, tecum reputas, nec egere tanta a Deo venia, minus & Deum diligis & Christum ejus. Judicium ex supra dictis facias de hac expositione, præjudiciis utique hypotheseos undique infarcta.

§. 34. Peccatorum & magnitudo & multitudo nemini in hac vita simul plene fit perspecta: magna circa illa Revelatio manet omnes in Judicio extremo. Consequentiarum tamen prospectus & deinceps subinde dari poterunt ulteriores. Quapropter & Remissio per Sanguinem Christi facta novo in æternum cantui, qui est cantus Agnelli ex Apoc. c. XIV. 3. XV. 3. coll. c. V. 6. 9. 12. materiam præbebit inexhaustam.

§. 35.

§. 35. Hinc remiſſi
ctorum erga Deum in æv
tura ſit, dubium non e
ſubinde luculentius ſunt

§. 36. Remiſſio pec
juſtitiæ Chriſti collatione
in Scriptura Sacra Schem
ri huc meretur origo V
probroſæ & ſignum &
æternæ ſane beneficium
& ſignum & velamen.
bundo (nam nemo niſi
præſentiſſimum *ſimulacrum*
coram Deo tegenda eoqu
per quod digni oculis D
ſus eſt, & rectior, eo m

vis ſpecioſæ poteri
Ornamentum D
ap

F

c remissio peccatorum quin & olim amorem ele
m in ævum magis magisque exacuere potis fu
n non est, quando quidem consequentias eorum
ius sunt perspecturi.

issio peccatorum, ut penitus annexam sibi habe
ollationem & imputativam & infixivam, notabil
ra Schematismo *Vestimenti* repræsentatur. Confer-
origo Vestium ex Gen. III. Erant illæ nuditatis
num & tegmen: sic & hic *Vestitus Justificatorius*
eficium memoriæ, peccatorum erit manebitque
lamen. Potest ex sensu nuditatis naturalis pudi-
emo nisi insanus in luce publica apparet nudus)
*simulacrum* accipi de sensu nuditatis spiritualis in
nda eoque dein cupiditatem illius Vestimenti ciente,
oculis Dei reddamur. Et quo tenerior ille sen-
or, eo minus propriæ Justitiæ velamine quantum-
sæ poterit esse contentus, at eo ardentius
entum Decusque divinitus fidei oblatum
appetet optabitque.

F I N I S.